

Deinde non iniuriâ metuo, vt multa adhuc in ratione hypothesium his duobus Planetis relicta incerta sint. Copernicus (vt colligitur ex modò posita Rhetici, & infrâ ex Mæstlini epistola) plus Ptolemæi placita, quàm obseruationum necessitatem secutus est in emendandis inferiorum theorijs. Quia in re quò minùs reprehendi posset, Rheticus in sua narratione effecit: vbi monet, religiosissimè veterum vestigijs inhærendum, nec facilè quid mutandum, donec obseruationum extrema necessitas vrgeat. Quòd igitur adeò exquisitæ obseruationes haberi non possent, ea fortasse satis magna causa fuit Artifici prudentissimo, præter accommodationem ad sua placita nihil vltèriùs in Planetas hosce tentandi.

Quod igitur in Venere magnam vides arcuum diuersitatem eius rei culpam inter cætera, quæ in genere præmissi (quæ te probe meminisse velim) etiam in hæc modò allegata offendicula confer; & magnitudinem discordiæ æquanimitate tua, si bene singula perpendisti, facilè superabis. Quia in re magno tibi solatio erit: quòd numerus Copernicanus medius est inter arcus ex interposita, & ex omiſſa Luna prodeuntes. Nam si orbem magnum systemate Lunæ farcias: Icosaedron Venerem longiùs à terra dimouet, atque Copernicus prodidit: sin exemptâ Lunâ tenuiorem efficias orbem magnum: figura Venerem nimium propè admittit, maioremq; quàm est in Copernico, esse patitur. Quare aliquid minus Lunâ rem iuuare poterit, si tenendus Copernicus est.

De Mercurio verò tantum iam dictum est, diciq; ampliùs potest: vt existimem te, Lector æque, si aliquid ampliùs etiam deesset, concocturum, atque excusaturum. Neque mihi digna videtur eius motus diuersitas, de qua magnam litem moueam. Quamuis meliùs se gerit, quàm Venus: facit enim vnus tantum gradus differentiam, quod mirum est: adeo nunquam non fallaci est ingenio. Certè vnus hic est, qui Astrologorum famam maximè prostituit, & meteororum rationem omnem turbat. Et in ventis quidem prædicendis (quos certissimè concitat, quotiescunque locis est idoneis) sæpe adeo constanti numero dierum aberrat: vt parum absit, quin tum eius in Ephemeride vitiosè proditum circulum corrigere possim: Itaque si quem Astronomum cernerem nimium sollicitè